





DISSERTATIO IVRIDICA <sup>45</sup>  
DE <sup>28</sup>  
LITIS REASSVMTIONE  
P A R S . I .

IN  
ORDINE CIRCVLARI  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN  
ACADEMIA ERLANGENSI  
PRAESIDE <sup>1750, 26</sup>

IOANNE ERNESTO SCHROETERO

I. V. D. ET P. P. ACAD. BIBLIOTHECAR.

RESPONDENTE

IOANN DANIEL HAACK

BOFFINGA SVEV. L. L. C.

D. XIV. M. APRIL. 40. MDCCL.

H. L. Q. C.

HABENDA



ERLANGAE

TYPIS VIDVAE IO. FR. BECKERI ACAD. TYPOGR.

LITIS REASSUMTIONE

P A R T I

ORDINE CIRCULARI

CONSENSU ELECTORUM SACCHE

ACADEMIA ERLANGENSIS

IOHANNI ERNSTO SCHROETERO

L. D. ET P. R. ACAD. BIBLIOTHECAR.

IOHANNI DANIELI HAECK

ROTHMANNI

D. THEOLOGICI

M. D. C. C. C.

1799

ERLANGEN

IN

THEMATA





I. N. D. N. I. C.

DE

LITIS REASSVMTIONE GENERATIM  
EIVSQUE ORIGINE

§. I.

**N**obis de illo iudiciali actu quo quis alterius litigantis, in ipsa autem lite deficientis, litem suscipit, quem vulgo LITIS REASSVMTIONEM vocant, acturis, placet ante omnia definire: quid sit litis reassumptio, de qua vniuersa nostra erit disputatio? LITIS autem REASSVMTIONEM, <sup>a)</sup> eum vocant actum, quo quis se in litigantis deficientis locum in lite succedere velle verbis sollempnibus, in iudicio declarat. <sup>b)</sup>

<sup>a)</sup> v. Illustris ESTORIS Anfangsgründe des Allgemeinen und Reichs Process, §. 259. p. 787.

<sup>b)</sup> Originem vocis quod adinet, herbaram omnino saeculi, quo vsurpari coepit, redolet indolem, nec vilius purioris Latii scriptoris auctoritate nititur. Nam quod vocem reassumere PLINII SECUNDI auctoritate vulgo tueri volunt, cuius, Lib. V. Epistol. VI. haec, vt vulgo leguntur, exstant verba: *Aestate summittitur, immensisque fluminis nomen arenis alveo deserit, autumnus reassumit*; optime iam BASILIUS FABER in Thesauro h. v. Tom. II. p. 87<sup>o</sup>, et ERICUS MAURITIUS in diss. de Citatione ad Reassumendum. §. 2. p. m. 549. observauerunt

seruarunt, in melioris notae editionibus, resumit legi; et ita profert castigatissima Plinii editio, quae cura V. V. C. G. CORTII et LONGOLIII prodijt p. 340. Hinc est, quod barbara hac voce ante annum MDCCCXXIV, vti noluerint Camerac Imperialis splendoris Senatores, sed semper citatio ad resumendum scriberent, teste MAURITIO l. c. circa finem §. p. 550.

§. II. Ipsi lis huius reassumptionis, (liceat enim nobis cum Doctoribus hac voce, latinis auribus alias in-consuetata hic, et in sequentibus vti, ne crebris circuitionibus lectori molesti simus,) si celeberrimis Ictis <sup>c)</sup> ad stipuleris, fundamentum in iure Romanorum, vel canonico frustra inuestigabis et conquires, cum in utroque horum iurium, huius consuetudinis, nec volam, nec vestigium inueniri constanter asserant.

c) CARPZOVIVS in Processu Iuris Titul. VI. artic. 4. §. I. no. 1. et 2. p. 207. MAURITIUS citata diss. de Cit. ad reass. §. 5. p. 553.

§. III. Non tamen desunt Icti, qui necessitatem litis reassumptionis ex legibus Romanis se perspexisse, quouis pignore certant. Inter hosque primo loco nobis nominandus est ALVARVS VALASCVS, <sup>d)</sup> Conimbricensis Academiae olim Professor primarius, et deinceps regius in suprema Lusitaniae curia senator, qui variis excitatis legibus <sup>e)</sup> sententiam suam probare nititur; et GAILLIUS <sup>f)</sup> qui sententiam suam c. 1. §. 1. de Procuratoribus in 6. et l. 23. C. eodem, firmat. Sed his omnibus opponit MAURITIVS <sup>g)</sup>: in legibus allegatis nullam inueniri litis reassumptionis mentionem, quid quod lege 23. C. de Procurat. quam Gaillius citat, necessitas litem reassumendi plane remittatur, si is qui litem alteri mandauit, postquam eius procurator nactus est dominium, vita fungitur. Quibus addit: <sup>h)</sup> litis reassumptionem Romanis vel ideo incognitam fuisse, quod lites ipso iure ad here-

heredes secundum eorum leges transeant <sup>1)</sup> et deinde pergit: *quodsi moriente principali procurator iam litis dominus factus sit, ne tum quidem iure civili opus fuerit litis reassumptione, arg. l. 23. C. de Procuratorib. Sin ipse procurator, post nactum litis dominium, vel decedat, vel ex iusta causa, post eius cognitionem mutetur - - tum quidem eo casu, quo decedit transire instantiam in dominum ipso iure existimat Angelus - - at si mutetur, necesse est omnia innouari, et opus est noua contestatione et similibus. v. g. interrogabitur dominus, vel nouus Procurator: tu das libellum, uti dedit primus? sunt verba Bartholi in l. 24. ff. de Procuratoribus.*

- d) Consultat. ac rerum in Lusitaniae Regno iudicatarum, 38. no. 1.  
 e) Ad legem nempe 191, de R. I. cum gl. l. 2. Quae sententiae sine adpellat. rescidat. l. 33. de fideiussoribus et mandatoribus, ac ibi Imola et denique. l. 34. de iudiciis, ac in eam Iacobinus de Sancto Georgio.  
 f) Lib. I. obseruatione 109. no. 5. p. 195.  
 g) Diff. de Citat. ad reall. §. 4. p. 552.  
 h) L. c. §. 5. p. 553.  
 i) L. 58. de obligat. et actionib. l. 78. §. 15. ad Sctum Trebellian. l. 19. pr. de iudiciis.

§. IV. Haec licet ita se habeant, actionesque ipso iure in heredes transire de iure Romano, nemo fortasse sit, qui inficias eat; tamen ideo litis reassumptionem frustraneam non esse ostendit FRIDERICVS PHILIPPI <sup>k)</sup> scribens: *Enim vero ut constet aliquem heredem esse velle in simul, factum hominis, et quidem a parte extraneorum hereditatis aditio, a parte vero suorum heredum existentia una cum insequuta immixtione accedat requiritur - - et cum factum hoc heredes in praedictum litigantium saepius different, consuetudine et obseruantia fori receptum est, ut heredes ad continuationem processus non admittantur, priusquam litem legitime reassumerint - -*

A 2

quod

*quod nunc vice hereditatis aditionis aut immixtionis esse potest eundemque cum illa operatur effectum.*

\*) In dissertatione de Reassumptione litis Lipsiae MDCLXXXIX habita Cap. 5. Thel. 5.

§. V. Quae ex PHILIPPI opusculo hic subiunxi, pensitanti, mihi ipsi in mentem venit: necesse esse, ut Romanis veteribus litis reassumptio innotuerit. Omnis enim hereditatis aditio apud Romanos fiebat, vel cretione, vel pro herede gestione, vel immixtione; <sup>1)</sup> quibus actibus omnibus heredes publice decernebant, se heredes esse velle, atque hoc ipso lites defuncti suscipiebant, in quo litis reassumptio consistit. <sup>2)</sup> Sed sententiam hanc iam linquo, probe perspicuus, sollemnem hanc Romanorum hereditatis aditionem, a litis reassumptione, de qua iam nobis sermo est, longe distare, cum haec etiam post hereditatis aditionem apud *eum iudicem, coram quo iudicium a defuncto susceptum est, fieri debeat*: nec ex his, quid Romani de litis reassumptione successoris particularis statuerint, satis patet. In eorum igitur sententiam transeo, qui litis reassumptionem nostram, Doctoribus vsuque fori acceptam ferendam esse asserunt.

1) V. B. HEINECCII Antiqu. Rom. Lib. II. tit. XVII. §. 14. seqq. p. 537.

2) Hinc etiam est, quod quidam isti, litis reassumptionem speciem hereditatis aditionis esse, contendunt. V. FINCKELTHAUS obseruat. tit. no. 10. p. 849. CARPZOV. Decisionum illustrium Saxoniar. p. 3. Decis. 244. no. 11. p. 252.

§. VI. Nec sufficit, supra observasse, litis reassumptionem necessariam esse, licet actiones ipso iure transeant in heredes, Aequitati naturali, vel ut ille loqui amat, Iuri naturali, convenire ait MAVRITIVS <sup>3)</sup> ut heredes defuncti litigantis ad litem eius suscipiendam citentur.

Cui



Cui tamen contrarius est IO. FRIDERIC. WERNHER<sup>o)</sup> licet ex rationibus non satis firmis, nam quod illud adinet, ex sola clausula heredum mandato inserta, necessitatem reassumendi litem remitti non potuisse, si haec iuris naturalis esset, de eo adhuc sub iudice lis est, an idem illud principium, per clausulam heredum mandato insertam necessitatem reassumendi litem tolli, rei satis conueniat. Quodsi dicendum, quod res est, vera omnino sunt, quae profert MAVRITIVS: tot dari casus, ubi propter ignorantiam successoris, tum vniuersalis, tum particularis, quae humana diligentia vitari non potest, citatio ad reassumendum necessaria sit, vt ea non immerito et hanc ob causam generatim sit introducta.

n) L. c. th. 13. p. 562.

o) In dissertatione de Reassumptione litis §. 16. p. 12.

§. VII. Ab hac sententia non dimouebor, licet GAILLIVS<sup>p)</sup> melius fore putet, si ad euitandam hanc litis reassumptionem, quae ab illa parte, cui incumbit non raro protrahitur, contra procuratorem, tanquam dominum litis et instantiae, vt loqui solet, vsque ad causae conclusionem procederetur, et in eum sententia conciperetur. Hoc enim in vsum vix deduci posse, iam obseruauit CARPZOVIVS<sup>q)</sup> et incongruum illud, quod ex malitia partium, in litis reassumptione, proficisci asserunt ad abusum huius remedii pertinet, propter quem tamen tollendus non est eiusdem legitimus vus.<sup>r)</sup>

p) Citatis iam Obseru. Lib. I. obs. 109. no. 6. p. 195.

q) Lib. III. Titul. II. Respons. 24. no. 10. p. 34.

r) v. MAURITIUM laudat. diff. th. 14. p. 564.

§. VIII. Sed haec ut sint, hoc certe nempe negabit, ususque rerum satis superque docet, introductam esse litis reassumptionem in nostris iudiciis, idque, ut viris iure peritissimis videtur, ab initio quidem usu fori, seu obseruantia iudiciorum. <sup>s)</sup>

s) CARPZOV. in Processu. Titul. 6. artic. 4. no. 3. p. 205.

§. IX. Causam introductae huius obseruantiae hanc vulgo dare solent. Ut quis litem alterius reassumat, speciem esse hereditatis aditionis: hanc autem esse rem magni praeiudicii: ne igitur per indirectum heres grauetur onere hereditatis, consultius visum esse, per expressam litis reassumptionem heredis voluntatem declarari. <sup>r)</sup>

r) v. CARPZOV. l. c. n. 5. confer. PHILIPPI de Reass. Litis Cap. 5. th. 5.

§. X. Nec si quis de introducta hac per obseruantiam fori litis reassumptione, dubitare velit, hoc permitteret ingens lictorum de eadem testamentium numerus, quos vide sis apud CARPZOVIVM <sup>u)</sup>

u) L. c. no. 4.

§. XI. Consultumne sit, nec ne, rebus litigantium per introductam hanc consuetudinem? ex iis, quae §. VII. iam disputauimus ex parte constat. Vterius autem hanc quaestionem illustrat CARPZOVIVS. <sup>v)</sup>

v) Lib. 3. Responso. tit. 2. Responso. 24. p. 34. seqq. et Parte 1. Decis. illustr. Decis. 36. p. 182. seqq.

§. XII. In huius consuetudinis initium inquirentibus, idem euenire solet, quod plerisque, qui fontes rerum remotis ab hinc saeculis in usum deductarum indagare fatagunt; ut non nisi per obscura ac dubia inueniant. Idque hac  
in

in re eo magis, cum infelici illo in saeculo, quo omnis a literis exulabat elegantia, citra dubium, primum in usum deduci coepit. Ex iis, quae Mauritius supra §. III, a nobis in medium prolatus, Bartholi verbis narrat, videre est, litis reassumptionem, quod ad rem ipsam, iam Bartholo in mentem venisse, licet alias vox nec apud Bartholum, nec apud alium eiusdem, et statim post sequentis aetatis scriptorem occurat. Bartholi tamen aetate reassumptionem litis, quod ad rem ipsam, plene et ubique in usu fuisse, hinc adfirmare non ausim, nec alium figere terminum quando in usu esse coeperit, praesertim, cum Angelus de Vbaldis adhuc noter instantias (sic venia verbo) ipso iure transire in heredes. Nemo praeterea tempus introductae litis reassumptionis curate indicabit, nisi qui scripta Ictorum pragmaticorum, qui circa fin. XV. et initium XVI. Saeculi vixerunt cum cura euoluit. Id quod me in praesenti, cum non vacaret fecisse, nequeo gloriari. Fortasse hanc speciatim rem tractandam alia se praebebit occasio. Id unicum iam sicco non transibo pede; antiquissimam, quae MAVRTIO <sup>w)</sup> in Germ. factae litis reassumptionis innotuit mentio, de Anno 1522. esse, quo ea occurrit in praeiudicio, ut loquuntur, camerali.

w) L. saepe cit. §. 8. p. 558.

§. XIV. Nec in Germania tantum usu inualuit haec litis reassumptio; sed et de usu eius in Lusitania et Hispania <sup>x)</sup> Italia <sup>v)</sup> Gallia <sup>z)</sup> Belgio <sup>^)</sup> quid quod et in Polonia <sup>^)</sup> Doctores passim testantur. <sup>o)</sup>

x) ALVARUS VALASCUS loco supr. ad §. 3. not. d) citato et IOANNES DEL CASTILLO quotid. Controvers. Lib. 2. cap. 9. num. 1.

v) LUDOVICUS POSTIUS Rotae Auditor, in tr. Mandat. de Manu-  
tentent. obs. 12: no. 159.

z)

VIII DE LITIS REASSVMPTIONE GENERATIM

- z) ANTONII FABRI Codex definitionum Lib. 2. Tit. 8. def. 4. not. 5. p. 116.  
 a) GROENEWEGEN de Legibus abrogatis ad L. 23. C. de Procuratoribus, p. 53.  
 b) BOGISLAUS DE ORZECHO ORZECOWSKY ad 4. lib. Inst. th. 109.  
 c) Citati a MAURITIO saep. cit. diff. th. 7. p. 555. seq.

§. XIV. Sed quid de litis reassumptione, an observantia iudiciorum introducta sit, multum solliciti sumus? Nobis in Imperio Romano Germanico verba facientibus, sufficiat, eam expressis verbis in Imperii nostri legibus confirmatam esse. RECESSV nempe DEPVTATIONIS de anno 1313. §. 75. et in Recessu Imperii de anno 1314. cuius verba inferius cap. III. dilucidabimus. <sup>d)</sup>

- <sup>d)</sup> p. 954. editionis Recessuum Imperii quae Moguntiae MDCLX. fol. prodit.

§. XV. Haec de origine litis reassumptionis haecenus; nunc ad rem ipsam veniamus. Diuidunt litis reassumptionem in VERAM et FICTAM. <sup>e)</sup> Veram vocant, si quis in iudicio declarat, se litem reassumere velle. Ficta est, cum iudex, in poenam eius, qui ad litem deficientis sui antecessoris resumendam legitime citatus est, in iudicio autem comparere praefraete negat, litem reassumptam esse ab ipso fingit.

- <sup>e)</sup> v. Illustris ESTOR in den Anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocess. §. 2260. p. 788.

§. XVI. Prius vero, quam litem ob contumaciam alterius, reassumptam esse fingit iudex, is qui litis reassumptionem subterfugere velle videtur, legitime ad hoc, vt litem suam faciat, citatus esse debet. Ea autem citatio ad normam legum confecta dicitur, in quo citato iustum relinquitur temporis spatium, ad ea, quae in citacione

ne

ne ipsi iniunguntur, peragenda: haec igitur citatio ad reassumendum iustum quoque continere debet spatium \*) alias, emanante citato, lis pro reassumta haberi nequit.

\*) Terminus, ut loquuntur, Saxonicus requiritur in Saxonia RIVINVS in Enunciat. ad Tit. 17, En. 15, p. 559.

§. XVII. Nec leges nostrae patiuntur, aliquem ipso iure in contumaciae poenam incurrere, hinc necesse est, ut in ficta litis reassumptione, alter litigantium, eius qui litem reassumere praefracte negavit, accuset contumaciam. †)

†) v. SVENDENDOERFFER Process. Fibig. Cap. 2, p. 769. no. 6.

§. XVIII. Hanc alterius partis contumaciae accusationem sequitur a iudice sententia interlocutoria, qua, nisi contumax adhuc litem reassumat, se eam pro reassumta habiturum esse comminatur. ‡)

‡) v. SVENDENDOERFFER l. c. no. (383.) p. 770.

§. XIX. Quodsi ne tunc quidem contumax litem reassumit, post alterius litigantis reiteratam contumaciae accusationem, sequitur denique sententia condemnatoria. §)

§) v. SVENDENDOERFFER l. c. p. 669.

§. XX. Dispesci porro litis reassumptio potest in EXPRESSAM, quae verbis eam indicantibus, et TACITAM quae factis, ut vocant, concludentibus fit. Quoties enim successor deficientis litigantis, in vnico saltem actu se liti antecessoris sui immiscet, litem hanc suscepisse praesumitur. ¶)

¶) v. MEVIUS Parte 5. Decision. 2, p. 676.

§. XXI. Is tamen, qui tacite litem suscepit, se subtrahere nequit, quo minus, postulante id altera parte, sollempniter in iudicio declaret, se in locum deficientis

B

sui

X DE LITIS REASSUMTIONE GENERATIM

fui antecessoris succedere velle. <sup>1)</sup> Eum enim praefertim in finem litis reassumtio vsu inualuit, vt securius et certius magis iudicium reddatur, quod in tacita litis reassumtionem plerumque incertis multis adhuc premitur. Fieri enim potest, vt quis se per ignorantiam, ex errore, non animo litem reassumendi liti alterius deficientis immisceat.

<sup>1)</sup> v. SVENDENDOERFFER in Process. Fibigiano. p. 761.

§. XXII. Non tamen, licet leges eum, qui se liti antecessoris sui vltro immisceat, eam reassumisse praesumant, inde consequitur: vt ideo vitia latentia, et gesta a procuratore falso, adprobare necesse habeat successor, vt potius contrarium non sine ratione statuat RIVINVS. <sup>m)</sup>

<sup>m)</sup> In Enunciatis Iuris ad Tit. XVII. En. 18. p. 560.

§. XXIII. Denique Litis reassumtio vel SEPARATIM POSCITVR, vel EXCEPTIO NONDVM REASSUMTAE LITIS opponitur <sup>n)</sup> ei, qui alterutri e litigantibus succedit, litem autem eo quo decet modo adhuc non suscepit: alter enim litigantium litem continuare prius non tenetur, quam is, qui deficienti in lite succedit, eam sollemniter reassumfit, per ea quae supra §. XXI. diximus.

<sup>n)</sup> v. LUDERI MENCKENII Tractat. Synopticam Process. Iur. comm. et Saxon. Diff. g. ad Tit. XVII. §. 7.

§. XXIV. Coram iudice litis reassumtio peragenda est: quis igitur est, qui non perspiciat, ad illos eam pertinere actus, qui a iudicis pendent directione? Iudex itaque competens, coram quo causa hactenus ventilata est, <sup>o)</sup> deficientis litigantis successores ad litem reassumendam citare debet. <sup>p)</sup>

<sup>o)</sup>

o) v. MAURITIUM I, c. §. XV, p. 566.

p) Hinc originem traxit citatio, ut vocatur, ad reassumendum, de qua v. saepe iam laudatam integram dissertationem ERICI MAURITII habitam Tubingae MDCLX, in eius opusculis iunctim editis p. 547. seqq.

§. XXV. Occurrit hic quaestio: an iudex ex officio partes ad litem reassumendam citare possit? Adfirmant nonnulli, quidam negant, quidam tertiam viam ingrediuntur. Qui adfirmant <sup>o</sup> hac moti sunt ratione: quod iudici concessum sit, omnia expedire, sine quibus lis omnino decidi non potest, arg. Legis II. de Iurisdictione. quale etiam litis reassumptio, quae ad legitimationem in processu pertinet, est. Qui negatiam tuentur sententiam, <sup>r</sup>) eam sic tueri nituntur: iudicem, aiunt, officium suum regulariter non impertiri, nisi rogatus sit, arg. l. 4. §. 8. de Damno infecto et. Cap. 19. X. de foro competente; adeo, ut citationem quae, parte non petente fit nullam existiment Icti quidam. <sup>s</sup>) Qui mediam denique ingrediuntur viam; <sup>v</sup>) iudicem, ex officio, promouendae litis causa, partibus imponere posse necessitatem desiderandi citationem ad litem reassumendam, aiunt, argum. l. unic. C. ut quae desint adu. part. Quorum sententiae, quod ingenue fatemur, et nos accedimus.

q) PHILIPPI in diss. de Reass. Litis. Cap. 2. th. 4.

r) MAURITIUS saep. cit. Diss. th. 15. p. 566.

s) VANTIUS in Tr. de nullitate processuum tit. de nullit. ex defect. citation. no. 31. et 35. in Tractatu Tractatum Tom. IV. p. 408. CALVOLUS Prax. Aurea §. 8. Concl. 3. no. 14. seqq.

t) Illustis ESTOR inden Anfangsgründen zum gemeinen und Reichs Process. §. 2268. p. 797. LÜDERUS MENCKENIUS in Tract. Synoptic. Process. Diss. 8. ad Tit. 17. §. 7.

§. XXVI. In iudicio imperii Camerali haec citatio, quam ad reassumendum vocant, non nisi praeuia aliquali

quali causſae cognitione decernitur. Hinc et ſemper haec citatio in loco iudicii petenda eſt, quam quam modum eam extra locum iudicii decernendi, penitus excluſdere nolint iuris cameralis Doctores. u)

u) B. DE LUDOLF. in iure camerali p. 251. conf. IO. FRIDR. WERNHER diſſ. de Reaſſ. Litis §. 26. p. 19.

§. XXVII. Iudex citare debet ad litem reſumendam deficientis litigantis ſucceſſores, tum particulares, tum vniuerſales. Quod ſi igitur plures deficienti litiganti ſunt heredes, ſinguli citandi ſunt, (v) nec ſufficit eos in ius vocatos eſſe, qui litem ſuſcipere debent, ſed et eos, contra quos lis reſumitur, vocare oportet, ut videant litem reſumi. w)

v) PHILIPPI ſaepe iam laudata diſſ. cap. 4. th. 2.

w) v. MAURITIUM l. c. §. 3. p. 551.

§. XXVIII. Quod ſi igitur Suſceſſor deficientis litigantis, abſque praevia citatione ad reſumendum, in ſcriptis fortatte, abſente illo, quocum lis ei reſumenda eſt, litem ſuſcipit, haec litis reſumtio neutiquam ſufficit, niſi adverſa pars in eiusmodi litis reſumtionem conſentiat. x)

x) PHILIPPI l. c. Cap. 4. §. 1.

§. XXIX. Si quidem contingit reum mori, eiusque heredibus per decretum litis reſumtionem iniungi, poſtea vero et actorem e vita excedere, prius quam heredes rei litem motam agnouerunt, actoris quidem heredibus litem ultro reſumentibus, non opus eſt, ut rei heredes ad reſumendum citentur, quum iis litis reſumtio per decretum iniuncta ſit, nec exceptione, ſe ad videndum litem ab actoris heredibus reſumi citatos non eſſe, tuti ſunt quod



quod haec citatio non ad ea pertineat, sine quibus lis subsistere nequeat. v)

v) MEVIUS P. 4. Deciss. 153. p. 560.

§. XXX. Summum Iſti officium in cura positum est, ut lites, quo fieri potest modo, breuiiores reddantur, et calumniae caufidicorum malorum, statim quasi os praeccludatur. Ne igitur per litis reassumptionem litem protrahere velle videatur iudex, non immerito monent doctores, z) ut statim citationi ad reassumendum inseratur iussus indicis, quo partibus simul eodem die post factam litis reassumptionem, alios actus iudiciales peragere iniungitur. E. c. si ante publicationem sententiae definitivae litigans moritur, haeredes eius ad litem reassumendam, et simul ad publicationem sententiae definitivae citari debent.

z) v. WERNHER Saep. laudat. diff. §. 31. p. 21. vbi simul contendit, si lis talem post citationem in contumaciam pro reassumta habeatur, intuitu alterius actus peragendi citatio nullum contrahi praeciudicium.

§. XXXI. Ad actus iudiciales spectat litis reassumptio: eam igitur certis quibusdam sollempnitatibus fieri oportere, illum fugere nequit, qui usu rerum edoctus est, omnes actus, qui et hodie in iudiciis peraguntur, non absque sollempni cura suscipi. a)

a) v. B. SCHAUMBURGII Principia Praxeos. Lib. 1. Sect. 2. Cap. 7. §. 5. p. 396.

§. XXXII. Litis reassumptio, siquidem in iudicio sollempniter fieri debet, quaeritur: an et in scriptis faciendum sit? Legibus Imperii communibus de hac re nihil statutum est, hinc observantia iudiciorum vtramque hac in re faciet paginam, et huic quidem ubi convenit, nil impedit, quo minus in scriptis hic actus peragatur. Consul-  
tius

XIV DE LITIS REASS. GENERAT. EIVSQ. ORIGINE.

tius tamen est, et breuiores lites efficit, ubi ut eadem oretenus proferatur, lege cautum est publica, <sup>b)</sup>

b) Id quod in Saxonia factum esse optime monet RIVINUS in Enunciatis Iuris ad Tit. 17. §. 14. p. 558.

§. XXXIII. Pure praeterea, et absque conditione litis reassumptio fieri debet: cum enim ad securitatem iudicii introducta sit, parum securitatis ad iudicium inde perueniret, si reassumptio sub conditione fieri posset, cum ea, donec conditio adhuc pendet, semper incerta sit. Praeterea ei, cui litem reassumere a iudice imposuitur, amplum satis deliberandi fuit spatium in, citatione ad reassumendum concessum, utrum litem reassumere velit nec ne, <sup>c)</sup>

c) v. MENCKEN Tr. Synopt. Process. Diss. 8. ad Tit. 17. §. 7. conf. WERNHERI Disputatio de Reass. Litis §. 32. p. 23. Cuius tamen argumentum, litis reassumptionem ideo non admittit conditionem, quod instar hereditatis aditionis sit, parum ponderis habet, meo quidem, si quid est, iudicio. Ratio enim, cur hereditatis aditio respuit conditionem, quod inter actus legitimos numeratur, a Romanis, ad litis reassumptionem non pertinet.

§. XXXIV. Sed ne dissertationibus circulari ordine habendis positos cancellos egredi velle videamur, hic abrumpendum est, et quae de litis reassumptione generatim dicenda superiunt, in aliud tempus differere debemus.

FINIS.

Erlangen, Diss., 1743-50

ULB Halle  
003 552 225

3



f

Sb.

1018







DISSERTATIO IVRIDICA 45  
28  
DE  
LITIS REASSVMPTIONE  
P A R S I.

IN  
ORDINE CIRCVLARI  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN  
ACADEMIA ERLANGENSI  
PRAESIDE 1750, 26  
IOANNE ERNESTO SCHROETERO

I. V. D. ET P. P. ACAD. BIBLIOTHECAR.

RESPONDENTE  
IOANN DANIEL HAACK

BOPFINGA SVEV. L. L. C.  
D. XIV. M. APRIL. AO. MDCCL.

H. L. Q. C.  
HABENDA



ERLANGAE

TYPIS VIDVAE IO. FR. BECKERI ACAD. TYPOGR.

